

*tio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantum , sed etiam pro totius mundi ;* Quam distinctionem confirmat non solum C. IV, 10. sed et expressa vox Pauli I Tim. IV, 10. *DEUS est Saluator omnium maxime fidelium.* Quocirca in Textu non est Iohanni sermo de iis, pro quibus repurgandis sanguis Christi est efficax medium; neque de iis, in quorum purificationem et salutem hic sanguis est effusus; neque etiam de his, qui ex serua Seruatoris intentione tanti sanguinis lixiuio a peccatis abluendi, dehinc ad salutem perducendi sunt; hos enim omnes in solidum totius mundi homines esse, contra aduersarios quosuis inconcussa veritate docemus: Sed eos duntaxat intellexit, quos actu emundat sanguis, qui quamuis adhuc molestissimas peccatorum reliquias quotidie persentiscant, *ψ. 8. 10.* haetenus tamen a peccatis proaereticis et dominantibus gratiamque DEI et fidem excutientibus summo sibi cauerant studio, ex quo capite eos laudat, et ut ita strenue pergant magis extimulat, C. II, 1. 13. 14. 15. qui etiam in fide vera et saluifica huc dum constantes perstiterant, nec ab eadem per peccata regnantia ulla ratione sese auelli permiserant, siue iam in fide fuerint perseuerantes, seu electi: siue tantum *προσκαιροὶ* seu ad tempus credentes. Quapropter hac expositione ne vel latum unguem ab orthodoxa sententia deflectimus ad castra particularistarum transeuntes, neque enim sanguinem et meritum Christi hic attendimus ratione *acquisitionis*, eatenus quippe citra ullam exceptionem uniuersale illud esse persuasi sumus, freti dictis: *Eccl. LIII, 6. Rom. V, 18. 19. C. VIII, 32. 2 Cor. V, 15.* quin imo ad ipsos reprobos qui aeternae damnationi destinati sunt, semet extendere docetur *1 Cor. VIII, 11. 2 Pet. II, 1. Ebr. X, 29.* Sed tantum ratione *applicationis*, et sic particulare esse Christi meritum non negabit, nisi qui in dubium vocauerit dicta *Hof. XIII, 9. Matth. XXIII, 37.* et alia iamiam citata.

§. XVII.